

**Dissertatio medica inauguralis, de pneumonia ... / Eruditorum examini
subjicit Samuel Robinson.**

Contributors

Robinson, Samuel, active 1807.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant D. Schaw et filius, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dgpdba2t>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NO-

BILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE

ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL ROBINSON,

HIBERNUS.

Ad diem 24 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebant D. Schato et Filius.

1807.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

PNEUMONIA

ET

ANNUENTE EDUINO NUMINE

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI

D. GEORGI BALD. S. T. P.

ACADEMIE EDUINAE PRÆFECTI

RECTOR

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NO-

MINISTRUM PRAESIDENTIS MEDICAE FACULTATIS

JOH. GEORGI BALD.

EDUINO IN AUCTORITATE ACADEMICI

ET RECTORIS ACADEMIAE

REVERENDI ACADEMICI

SAMUEL ROBINSON

EDUINO

AD HOC IN AUCTORITATE ACADEMICI

ET

EDUINO

REVERENDI ACADEMICI

1807

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DB

PNEUMONIA.

PNEUMONIA, ubicunque reape hic morbus enascitur, satis manifesta est, ex symptomatis, paucis, distinctis, et facile intelligendis, constans. Antiquissimis bene nota fuit. Nec de ea inter medicos unquam disputatum est, nisi tantum in aliquibus casibus de sede sua, an hæc esset membrana pulmones tegens, an hi ipsi; quæstio sane ad lectum ægri difficilis adjudicatu, et in morbo tractando vix ullius momenti: ideo species diversæ, in auctoribus sys-

tematicis enumeratæ, sub uno nomine considerentur; et fortasse statui symptomatum solo attentio detur. Periculum maximum ex pneumonia plerumque minuitur, occasionem ferens, ad exercitandam peritiam et diligentiam medici, omnino urgentem.

In conspectu nostro hujusce morbi, duæ res præcipue notandæ sint, nempe pyrexia, et affectio localis; utramque diligenter pendere, ad intelligendum morbum ipsum, et periculum ejus, maxime subserviet. Nullus medicus, quantum pyrexia sit, in judicatione, et praxi, dirigendâ, ignorat; et hic, ac alibi, attentione gravi digna est.

Febris aliquando signa propria morbi prægreditur, eam horrore sæpe annunciante, quem cito alia phænomena sequuntur, pulsus acceleratus, calor auctus, simul functiones externæ læduntur; sed hic observatione dignum est, quod pneumonia vires musculares non tantum diminuit, quantum aliæ affectiones febriles pariter periculosæ; nam quidam, sub

illâ laborantes, ambulare etiam prope mortem valuerunt.

Brevi characteres morbi veri hactenus latentis apparent, primo dolor in quâlibet parte thoracis sentitur, tussis excitatur, et dyspnœa ægrum opprimit.

Decursu vario progreditur, aliquando ad diem quartum modo, sæpe ad septimum, aut etiam, sed rarius, ultra septimanas duas, se extendens; symptomatis inflammationis, nec amotis, nec pro ullâ sequelâ ejus mutatis.

In quibusdam casibus, morbus violens ægrum ad casum suum impellit, et cito, ni talis eventus arte medicinæ prohibeatur, etiam aliquando, cum summâ ope ejus adhibitâ, functionem organi, quod infeliciter sedem ei præbuerat, prorsus subvertit, et, cum illa, vitam ipsam. Non semper tamen in formâ tam gravi apparet, dum maximum periculum adest; aliquando etiam in specie leni, cum senibus præsertim, decipit, ut catarrhus, invadens, et per aliquod tempus sic perstans; nec calor auctus, nec pulsus multum concitatus, nec alia indicia febris

urgentis, ad pavorem excitandum adsunt; sed tantum defatigatio et debilitas, cum signis catarrhi mitioris, ægrum aggrediuntur; donec tandem, his subito aggravatis, respiratione præsertim difficillime factâ, mors inopinata, amicis attonitis et contristatis, cursum illius finit.

Fabrica thoracis, et eorum quæ continet, unâ alterâve consideratione generali de inflammatione additâ, symptomata morbi hujus facile explicabit. Thorax, mirâ solertiâ ad usum suum, instruitur, ex ossibus, cartilaginibus, et musculis, quæ in tali modo disponuntur, ut tutamen et motus parvus obtineantur: convexus externe, concavus interne, cavitatem, utcunque figuram coni referentem, fingit; in hac locantur pulmones, viscera duo, ex vesiculis numerosis ad aerem atmosphericum aptis, conflata, super quas transeunt vasa minima sanguifera, ramuli nempe arteriarum et venarum pulmonalium ac bronchialium.

Inter thoracem et pulmones, et hos dividens, membrana densa est, constans ex partibus duabus, quarum alia costis et musculis intercostali-

bus, et alia pulmonibus ipsis, telâ cellulosâ adjungitur, cavitate inter ipsas, quæ tamen, nisi in quibusdam morbis, semper in tactu sunt, relictâ.

Ad basin thoracis, et trans corpus, hinc bene vocatus septum magnum, musculus insignis ex summa utilitate in respiratione locatur.

Cum partes internas inflammatio arripiat, eadem phœnomena, quæ in phlogosi tam manifesta sunt, sine dubio contingunt, nempe vasa turgida, et eorum comites, rubor et calor. Dehinc symptomata, certe localia, oriuntur, et generalia, quæ prius plerumque nata sunt, saltem aggravantur; calor morbidus, in quacunque parte ortus, per corpus se diffundit, ut nulla pars sit, ubi non advenit; actio cordis et arteriarum augetur, cum pulsu duro, valido, et frequente; dolor sentitur, forsit ex vasis minimis nimis extensis, prope distractis, per plus sanguinis ad partem nunc immissi; tussis, quæ ex quâvis causâ pulmones, aut eorum membranas, irritante, eandem explicationem, ac dolor, admittit.

Ad respirationem plenam et liberam, necesse est, cavitates thoracis ipsius et vesicularum integras esse; et actionem musculorum, qui illis attinent, præsertim diaphragmatis, non impedi; ut moles tota sanguinis, actioni aeris, quæcunque sit, subjiciatur; hic status, sanitati tam necessarius, inflammatione permutatur: tumore, qui ei pertinet, si modo sedes parenchyma sit, vesiculas diminuente, quarum parietes fiunt mutuo appropinquare; aut potius vasa minima, quæ super illas currunt, undicunque tumescencia earum cavitates, fere omnino, obliterant: ex hac causa, respiratio, secundum spatium inflammatum, afficitur: sed maximum impedimentum ejus oritur ex illâ rigidâ conditione pulmonum, aut membranæ ejus, quam omnis pars inflammata inducit, quâ aeris impulsui, aut actioni diaphragmatis, non obediunt; sic cavitas thoracis vere imminuitur; hinc dyspnœa occurrit; et ex eadem causa facies livida et tumida fit; nam sanguis, itinere ejus, per pulmones nunc impedito, in vasis majoribus prope cor remoratur, et retrogressus a par-

tibus remotis ei abnuitur, quod facies, propter cutem ejus tenuem, præcipue indicat.

Diagnosis pneumoniæ, ut in aliis casibus, formatur clare intelligendo signa morborum, quibus similitudinem maximam habet; sed necesse est confiteri, quod res, præsertim tyroni, multum difficilis est.

Ex morbis similibus catarrhus primo nobis se offert, qui plerumque est lenis, sine periculo, et facillimus curatu: hic sæpe in formâ non tam miti apparet, sed symptomata ejus ad talem gradum excitentur, quod non facile est inter eum et pneumoniam dijudicandum; tamen error, si modo in unâ parte sit, nec post se malum ducit; nullâ injuriâ ægroto oriente, ex remediis pneumoniæ propriis, in tali catarrho caute adhibitis, sed cum maximâ, si, his neglectis, pneumonia adesset: et, ubi res dubia sit, ad salutem ægri esset, ut morbum, tanquam si pneumonia sit, tractemus.

Minus difficile est pneumoniam distinguere ab aliis, in quibus modus curandi omnino diversus requiritur, nempe imprimis ab hydrothorace,

qui aliquando etiam ex eâ sequitur: quum hic illi superveniat, aliquæ circumstantiæ statûs prægredientis, ut dyspnœa, decubitus difficilis, tussis, perstant; simul aliæ cedunt, nempe pulsus durus et validus, et calor major; sed aliæ novæ apparent, quales sunt excitatio ex somno, cum palpitatione, pulsus irregularis, et sæpe œdema pedum. Pyrexia discrimen inter eam et asthma facit, et etiam modus quo paroxysmi dyspnœæ aggrediuntur, qui in hoc magis subiti et convulsivi sunt, per intervalla minus aggravantes, aut prorsus ablati.

Pneumonia, ab inflammationibus viscerum thoraci adjacentium, ut ventriculi et hepatis, distinguitur per signa his propria.

Quamvis plures casus nobis traduntur, in quibus hic morbus, per vires corporis solas, quæ tam mire ad sanitatem tendunt, superatus fuit, tamen periculum semper pertimescendum est. In prognosi formandâ casuum peculiarium, gradus symptomatum imprimis aspiciendus est: si hæc lenia sint, et facultas, iis ineuntibus, remedia idonea adhibendi deter, terminum faustum

expectemus; in altera parte, si dyspnœa tam difficilis sit, ut ægrotus non in modo solito, sed tantummodo prope erectus, (si liceat sic dicere) decumbat; aut decubitus omnino prohibeatur, dum alia aggraventur; tussi frequente et affligente, expectoratione difficili et fere siccâ, dolore pungente et migrante: periculum urgens vitæ impendere judicamus, quod majus est secundum tempus in quo perstiterant, et etiam pertinaciam curationis idoneæ resistendæ; si his delirium superveniat, periculum maximum ægro adest; sed Doc. GREGORY, in prælectionibus, nuper mentionem fecit casûs sub curâ ejus, in quo, ope venæsectionis post delirii accessum, morbus ablatus fuit.

Causa ejus excitans præcipua, in hisce regionibus saltem, constat ex differentiâ inter calorem corporis et aeris externi, præsertim sub quibusdam circumstantiis: illa vim majorem habet, cum vasa minima superficiaria in statu debili sint, post actionem nimiam in fluidis eorum secernendis et effundendis; nam, illis compressis, mali

effectus determinationis sanguinis partialis sequuntur.

Exercitatio violens etiam hunc morbum excitat, quia, auctâ circulatione, pulmones, propter rationem parvam, quam ad reliquum corpus habent, plus sanguinis, in dato tempore, quam alia pars, recipient; quoniam tota sanguinis moles per eos transit: hinc pulmones inflammationi maxime obnoxii sunt.

Etiam in actione nimia pulmonum ipsorum originem ejus habet: hinc sæpe videmus viros, eloquentia dulci, et facultatibus raris adornatos, per labores vehementes fori vel curiæ, hoc morbo subito correptos, nec amplius vires claras ostentaturos.

Denique, ex qualibet causa systema sanguiferum plus æquo stimulante, pneumonia enascitur. Plurimas BOERHAAVIUS breviter enumerat, in sectione 850 *Aphorismorum* ejus; et illis quædam acria, ut arsenicum et vapores sulphuris, Ill. Commentatore adjiciuntur.


Medicina ad hunc morbum offert remedium tam faustum, quam in plurimis casibus paris pe-


riculi ad vitam humanam cum ratione expectandum sit. Illud apud antiquissimos in usu fuit; et ætatum experientia, quantum utile est, confirmavit: forsitan recentioribus tantum relictum est, beneficium ejus meliùs intelligere, et liberior adhibere. CELSUS de eo certè non videtur loqui cum eâdem fiduciâ, ac Cl. Vir qui cathedram medicinæ practicæ in hâc Academiâ occupat. De venæsectione dicimus. Est “sum-
“ mum remedium.” Quamvis ex illâ alii morbi non leves aliquando originem habent, etiam sub manû peritissimi medici, qui fideliter et probe laborat, ut ægrotus salus sit; tamen hic talis morbus tractandus est, ut, nisi per eam curatio efficitur, fortasse nulla spes restat. In usû ejus multum adjuvat, ad stadium morbi, æque ac symptomata ipsa, spectare. Si medicus tam felix sit, ut statim post invasionem ejus ægro appropinquet, et in casu, nec ætas longa, nec debilitas, ab quavis causa, in altera parte indicet, “tum missio sanguinis larga imperanda sit, et
“ repetenda secundum pulsûs duritiem et impe-
“ tum, et acerbitem inflammationis, donec

“hæcse remittant:” sed si, ut sæpe in praxi occurrit, non arcessatur, donec morbus proventus vires aegri prope superaverit, illud remedium non admovendum esset, nisi in quali modo salus ex eo vix speranda est, ne æger ad casum suum properè præcipitaretur. Venæsectioni, applicatio vesicatorii, in eundem effectum concurrens, auxilium præstans præbet. Post illa, purgatio lenis in initio morbi habenda sit. Omni fere notum est, quantum hæc corpus sub febre levat, non modo materiam putrescentem ab intestinis, sed etiam diathesin inflammatoriam, amovendo. In hanc finem, salina purgantia potius usurpanda sint; nam fluida aquosa ex corpore evehunt in copia majore quam alia.

Medicamenta indole refrigerantia magni momenti sunt in pneumonia, ac in aliis affectionibus generis febrilis: horum præcipua sunt, acida vegetabilia et mineralia, nitras potassæ, haustus ex acidis et alkalibus mistis, fructus, et potus aciduli.

Alia adjicere possimus; sed his solis pro cura confidimus.





DISPUTATIO

PROLOGUS

IN